UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Corpus Juris Canonici

**Gregor <XIII., Papst>**

**M. DC. LXI. Coloniae Munatianae, 1661**

78 Ista dat annorum numerum quo promovearis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-62953

Visual Library

geſſit, nec ulla corporis parte vitiatus apparet, ſi ſer-
vili, aut originariæ non eſt conditioni obnoxius, ſi curiæ
jam probatur nexibus abſolutus, ſi aſſecutus eſt lite-
ras, ſine quibus vix fortaſſis oſtiarii poſſit implere mi-
niſterium.

1 ¶ Si pœnitentiam ] *Hinc uſque ad finem addita ſunt ex epiſtola ipſa, ut melius percipiatur nexus ſequentis capitis. Nam poſt verbum,* miniſterium, *continenter apud Gelaſium ſequitur:* ut ſi his omnibus, quæ ſunt prædicta, fulcitur, continuò lector, &c.

C. IX. ¶ *De eodem.*

*Item* eodem capite, & ſequenti.

MOnachus 1 verò novitius ſi morum honeſtate ful-
citur, continuò lector vel notarius, aut certè de-
fenſor effectus, poſt tres menſes exiſtat acolythus: maxi-
mè ſi huic ætas etiam ſuffragatur: ſexto menſe ſubdia-
coni nomen accipiat, ac ſi modeſtæ converſionis, hone-
ſtæque voluntatis exiſtit, nono menſe diaconus, com-
pletoque anno ſit presbyter: cui tamen quod annorum
interſtitia fuerant collatura, ſancti propoſiti ſponte ſu-
ſcepta doceatur præſtitiſſe devotio. ¶ Si *a* verò laicus
quiſpiam eccleſiaſticis eſt aggregandus officiis, tantò
ſollicitius in ſingulis, quæ ſuperius comprehenſa ſunt,
hujuſmodi decet examinari perſonam, quantum inter
mundanam, religioſamque vitam conſtat eſſe diſcrimi-
nis: quia utique convenientia eccleſiæ miniſteria repa-
randa *b* ſunt, non inconvenientibus meritis ingerenda:
tantoque magis quod ſacris aptum poſſit eſſe ſervitiis, in
eorum quærendum eſt inſtitutis, quantum de tempore,
quo fuerant hæc aſſequenda, decerpitur ut morum ha-
bere doceatur hoc probatas, quod prolixior conſuetu-
do non contulit, ne *c* per occaſionem ſupplendæ penu-
riæ clericalis, vitia potius divinis cultibus intuliſſe *d*,
non legitimæ familiæ Domini computemur procuraſſe
compendia. Quorum promotionibus, ſuper anni metas,
ſex menſes nihilominùs ſubrogamus: quoniam ſicut di-
ctum eſt, diſtare convenit inter perſonam divino cultui
deditam, & de laicorum converſatione venientem. Quæ
tamen eatenus indulgenda credidimus, ut eccleſiis 2 ab
hac occaſione ceſſantibus, canonum paternorum vetus
forma ſervetur.

1 ¶ Monachus ] *Quomodo hic locus in originali habeat, proxima ſuperiore notatione indicatum eſt.*

2 ¶ Vt eccleſiis ] *Hæc multò pleniùs à Gelaſio exponuntur:* Vt illis, inquit, eccleſiis, quibus infeſtatione bellorum,
vel nulla penitus, vel exigua remanſerunt miniſteria, re-
noventur: quatenus his, Deo propitio, reſtitutis in ec-
cleſiaſticis gradibus ſubrogandis canonum paternorum
vetus forma ſervetur, nec contra eos ulla ratione præva-
leat, quod pro accidentis defectus remedio providetur,
non adverſus ſcita majorum nova lege proponitur, cæ-
teris eccleſiis ab hac occaſione ceſſantibus, quas non ſi-
mili clade vaſtatas priſtinam faciendis ordinationibus
convenit tenere ſententiam.

## DISTINCTIO LXXVIII.

1 ps QVa verò ætate ſacerdotes ordinari debeãt, Bonifacius 1 Papa *diffinivit, dicens.*

1 ¶ Bonifacius ] *Cæteri collectores citant ex decretis Fabiani. Extat apud* Martinum *Bracarenſem Epiſcopum in capitul. Græc. ſynod. cap. 20, ex Neocæſarienſ. cap. 11.*

C. I. ¶ *Ante annos triginta presbyter non ordinetur.*

SI *e* quis triginta ætatis ſuæ annos non impleverit, nullo modo presbyter ordinetur, etiamſi valdè ſit dignus.

C. II. ¶ *De eodem.* PALEA.

[*Item* in novellis in Authentica *de ſanctiſſ. Epiſcopis. §. clericos apud Iulian. Antec. conſt. 123. cap. 19.*]

NEmo * presbyter conſecretur, qui minor triginta
annis ſit: nemo diaconus fiat, qui minor viginti-
quinque annis ſit: nemo lectoribus connumeretur, qui
minor XVIII. annis fuerit: nemo inter diaconiſſas conſe-
cretur ſacroſanctæ eccleſiæ, quæ minor ſit XL. annis, vel ad
ſecundum matrimonium pervenerit.

C. III. *Non eſt ordinandus, niſi longo ſit probatus examine.*

*Item* Leo Papa *ad Epiſcopos Africanos, epiſt. 85. cap. 1.*

QVid *a* eſt manus citò imponere, niſi ante ætatem
maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum
obedientiæ *b*, ante experientiam diſciplinæ, ſacerdota-
lem honorem tribuere non probatis? Et quid eſt commu-
nicare peccatis alienis, niſi talem effici ordinantem, qua-
lis ille, qui non meruit ordinari.

C. IV. ¶ *Ante triginta annorum ætatem presbyter non ordinetur.*

*Item* ex concilio Neocæſarienſi, *cap. 11.*

PResbyter *c* ante XXX. annorum ætatem non ordi-
netur, quamvis ſit probabilis vitæ: ſed obſervet
uſque ad præfinitum tempus. Dominus enim noſter
Ieſus Chriſtus trigeſimo anno baptizatus eſt, & tunc
prædicavit.

*Hoc regulare eſt, unde & Chriſtus, & Ioannes Baptiſta, & Ezechiel, & nonnulli prophetarum non leguntur ante hoc tempus prophetaſſe, vel prædicaſſe. Verùm, quia Hieremias* d, *& David* [illegible] *ante juvenilem ætatem ſpiritum prophetiæ accepiſſe leguntur, David & Salomon in adoleſcentia uncti inveniuntur, Ioannes etiam Evangeliſta* f, *cùm adhuc eſſet adoleſcens, à Domino in Apoſtolum electus, & cum aliis ad prædicandum miſſus invenitur, Paulus* g *quoque Apoſtolus in adoleſcentia à Domino electus, & ad prædicandum miſſus aſſeritur, eccleſia ſimiliter, neceſſitate exigente, nonnullos ante triginta annos ordinare conſuevit.*

C. V. ¶ *Neceſſitate exigente XXV. annorum presbyteri ordinentur.*

*Vnde* Zacharias Papa, *Bonifacio Epiſcopo, epiſtola 6. cujus initium* [*Benedictus Deus.*]

SI triginta annorum non reperiuntur; & neceſſitas ex-
poſcit, à vigintiquinq; annis & ſuprà levitæ, & ſacer-
dotes ordinentur.

## DISTINCTIO LXXIX.

1 ps APoſtolicus autem non niſi à Cardinalibus, & religioſis clericis eſt inthronizandus.

C. I. ¶ *De eo, qui ſine concordi Cardinalium electione inthronizatur.*

*Vnde* Nicolaus Papa II. *ait in epiſtola, qua ſynodum à ſe Roma habitam refert, cap. 1.*

SI *h* quis 1 Apoſtolicæ ſedi ſine concordi & canonica
electione Cardinalium ejuſdem eccleſiæ, ac deinde ſe-
quentium religioſorum clericorum inthronizatur, non
Papa vel Apoſtolicus, ſed apoſtaticus habeatur.

1 ¶ Si quis ] *Verba Nicolai in epiſtola, quæ in volumine conciliorum impreſſa poſt decreta Nicolai I. habetur, hæc ſunt:* Primo namque inſpectore Deo eſt ſtatutum, ut ele-
ctio Romani Pontificis in poteſtate Cardinalium E[piscoporum]

a *Ibid. cap. 4.* b *al. deputanda.* c *al. nec.* d *al. intuliſſe judicemur.* e *Polyc. lib. 2. tit. 20. Burch. lib. 2. cap. 10. Ivo p. 6. cap. 30. Pannor. lib. 3. cap. 29.*

* *Polycarp. lib. 2. tit. 27.* a *Sup. diſt. 61. cap. miramur* [illegible] *quid eſt cito.* b *al. laboris.* c *Anſelm. lib. 6. cap. 34.* [illegible] *cap. 105. Polyc. lib. 2. tit. 27. Anſel. l. 7. c. 95. Pann. l. 3. c. 29. S. Greg. in Ezechielem Homil. 2.* d *Hierem. 1.* e *Dan. 1.* f *M*[illegible] g *Actor. 7.* h *Polycarp. lib. 1. tit. 4. Anſel. lib. 6. cap. 1*[illegible] *ſi quis pecunia.*